

# COMMENTARIUS

IN PRIMAM EPISTOLAM

## AD THESSALONICENSIS.

### ARGUMENTUM.

Thessalonica, metropolis Macedoniae, urbs fuit obilissima, quae prius Halia dicta, deinde a Philippo, Amyntae filio, vocata est Thessalonica, vel quia in ea Thessalos vicerat, ut nomen sonat; vel, ut Strabo ait, a Thessalonica uxore: nunc Salonica dicitur, estque Iudeorum statio etemporium. In hac ergo urbe Paulus praedicaverat Evangelium, brevique tempore multos Gentilium, ac praesertim nobilium matronarum converterat, ut patet *Act. xvii, 1* et seq. Hinc statim Iudaei Paulo et Evangelio invidentes, contra eum concitarunt seditionem; fugit ergo Paulus Athenas, indeque Timotheum misit Thessalonicam, ut opus a se ceptum perficeret et fideles in fide confirmaret, ut patet hic, cap. iii, vers. 2. Rediit deinde Timotheus ad Paulum, eique a se gesta et Thessalonicensium in fide constantiam enarravit. Unde Paulus hanc ad eos scribit epistolam, qua constantiae eorum congratulatur, eosque in fide confirmat, ut pro ea tuenda seum fortiter Iudeorum et Gentilium persecutiones ferant.

Deinde, cap. iv, hortatur eos, ut fugiant fornicationem, otium, desidiam; ac de resurrectione et Christi ad iudicium adventu eos instruit. Denique, cap. v, monet, ut ad diem iudicii sancte vi-

veno se comparent, vacentque charitatis operibus, orationi ac pietati (1).

Seriptam esse Athenis habent Graeca et Syra in hae epistola. Idem docent Theodoretus, Eumenius hic et Athanasius in *Synopsi*; sed verius est scriptam esse Corinthi anno Christi 52, ut docet Baronius (2); nam Timotheus jam Thessalonica ad Paulum redierat, ut ipse ait cap. iii, vers. 6. Timotheus autem ad Paulum rediit, non Athenis, ubi vix hesisse videtur, sed Corinthi agentem, ut patet *Act. xviii, 3*. Unde sequitur hanc primam esse omnium epistolarum quas scripsit Paulus, ut constanter asserunt Chrysostomus et Theodoretus.

(1) *Præter* epistolae partes, praeter exordium et epistolam, duae constitui possunt. *Prima* partim laudationes, partim historicas narrationes complectitur; in quibus tamen oblique hortationes ad constantiam in fide Christiana excitantes, passim delitescunt, cap. i-iii. *Alteri* pars tota est *exhortatio*, illa est, praecipua et admonitiones ad piam sanctamque vitam continet; cap. iv-v. Haec parti secundae per quamdam *epistolam* inserte sunt doctrinae fidei, quae contra dubitationes nonnullorum accurate exponuntur et vindicantur. Cf. Haneberg *op. cit.* ad h. l.

(2) Vel potius ann. Christi 50, ait Sepp, *op. cit.* tom. II, p. 434. Vide Chronicon libro *Actorum* prefixum.

### CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITULI.

Gratias agendo Deo, reficit Thessalonicensibus fervidam ipsorum conversionem ad Christum per efficaciam suae praedicationis.

Deinde, vers. 6, laudat et corroborat eorum in fide constantiam.

1. Paulus, et Silvanus, et Timotheus Ecclesiae Thessalonicensium in Deo Patre, et Domino Jesu Christo. 2. Gratia vobis, et pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione. 3. memores operis fidei vestrae, et laboris, et charitatis, et sustinentiae spei Domini nostri Jesu Christi ante Deum et Patrem nostrum: 4. scientes, fratres, dilecti a Deo, electionem vestram: 5. quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. 6. Et vos imitatores nostri facti estis, et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus Sancti: 7. ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia et in Achaia. 8. A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia et in Achaia, sed et in omni loco fides vestra, quae est ad Deum, profecta est, ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui. 9. Ipsi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos; et quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero, 10. et expectare Filium ejus de caelis (scilicet) mortuis Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura.

VERB. 1. 1. PAULUS, ET SILVANUS, ET TIMOTHEUS ECCLESIAE THESSALONICENSIVM IN DEO PATRE, ET DOMINO JESU CHRISTO, — id est in fide et religione Dei Patris et Jesu Christi, supple congregata, scribunt et salutem dicunt. Ubi recte advertit Theophylactus praepositionem *in* hic Filio tribui aequae ac Patri, ut significetur aequalitas Filii cum Patre. Eodem modo, quo hic praepositionem *in*, etiam praepositionem *a*, tam Filio, quam Patri tribuit *epist. II*, cap. i, vers. 2: « Gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino Jesu Christo. »

Nota secundo: Silvanus est Silas; ex Hebraeo enim nomine *Silas* Graeci et Latini formarunt nomen sibi notius *Silvanus*; hoc enim Latinum et Romanum est nomen. Perperam ergo Dorotheus, in *Synopsi*, Silvanum a Sila distinguit, quasi Silas Corinthiorum, Silvanus Thessalonicensium fuerit Episcopus.

Audi Manicheum resuscitantem hunc Silvanum, audi fanaticum. Constantinus quidam Manicheorum haeresim suscitari volens in Armenia, sub Constante Imperatore, nepote Heraclii, anno Christi 633, jactavit se esse Silvanum, qui tanquam fidus discipulus a Paulo missus est in Macedoniam, ostendensque discipulis suis Apostoli eodem, quem a Diacono acceperat: « Macedo-

nes, aiebat, estis: ego Silvanus, ad vos a Paulo missus. Quare justo Dei iudicio a Justo quodam, quem manichaeismo imbuerat, mercedem congruam recepit. Palatini enim jussis obsequens Justus, sumpto in manus saxo, Silvanum quasi alterum Goliath vi magna percussit et occidit, ut ex Theophane fuse narrat Baronius anno Christi 633. Ubi et addit asseclam Constantini Simeonem pari modo se appellasse Titum (cum ceteris animas devorans potius vocandus esset), qui proinde a Justiniano juniore Imperatore cum aliis Manichaeis flammis exustus est anno Christi 683.

Nota tertio, Pauli modestiam, qui Timotheum et Silam discipulos suos sibi aequat et adnumerat in scribenda haec epistola.

Nota quarto: Non se vocat hic Apostolum, quia paucis tempore Thessalonice evangelizaverat, ita ut apostolatus ejus ibi per experientiam vix esset cognitus: necdum enim ulla ibi fundaverat Ecclesias, quod proprium erat Apostolorum munus.

3. MEMORES OPERIS FIDEI VESTRAE, ET LABORIS, ET VERB. 8. CHARITATIS, ET SUSTINENTIAE SPEI DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI ANTE DEUM ET PATREM NOSTRUM. — Nota primo: *To operis*, vel, ut Syrus, *operum fidei*, significat fidem non nudam et otiosam, sed opera-

tricum, ipsaque opera fidei ab Apostolo commendari. Ita Chrysostomus, Anselmus et alii.

Nota secunda: Pro laboris et charitatis, Græcæ et Syrus legunt, *laboris charitatis*: sicut enim fidei tribuit opus, ita charitati tribuit laborem et spei sustentationem. Cui advertit, Apostolum per hæc tria, unum et idem significare, nimirum Thessalonicenses propter fidem, spem et charitatem in Christum multa a Judæis et Gentilibus passos esse, adeo ut a Judæis Jason pro Paulo ebullente protractus fuerit ad tribunal, Act. xvii, 6. Persecutiones ergo pro fide pati constanter, est opus fidei. Idem est « labor charitatis, » id est labor et molestia, quam sustinuerunt propter amorem Christi dilecti sui. Idem est « sustentatio » et patientia « spei, » ut mox dicam. Possunt tamen hæc ita commode accerni, ut « opus fidei » sit labor pro fide susceptus; multum enim eis laborandum erat, ut infirmi in fide Christiani tempore persecutionis in fide corroborarentur. « Labor charitatis » esse potest labor, quem susceperunt, ut eos, qui ob fidem erant spoliati bonis, aut in exilium missi, solarentur et sustentarent. « Sustentatio spei » esse potest omnium rerum in persecutione tolerantia ob spem gloria celestis. Ita Chrysostomus.

Nota tertia: « Sustinentiam spei » vocat constantiam spei, quam constanter in adversis sustinuerunt, id est sustentantur et retinentur; Erasmus verit, *quod permansistis in spe*; Ambrosius legit, *expectationis spei*, id est spei expectantis, de qua mox dicam.

Secundo et aptius, « sustentationis spei, » id est patientiæ, et, ut Syrus, *tolerantiæ*, quam in persecutionibus habetis ex spe, vel propter spem præmii celestis. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus. Unde posset cum Vatablo per hypallagæ « sustentationis spei » accipi pro spe sustentationis, id est spe sustinente, tolerante, patiente; sique clare hic locus verit potest. Memores operatrici et efficacis fidei vestræ et laboriosæ charitatis et tolerantis spei. Ubi advertit tria apta epithela et quasi proprietates trium virtutum Theologicarum, fidei, spei, charitatis: fides enim debet esse operatrix, charitas laboriosa, spes patients. Unde recte notavit Chrysostomus et alii, ab Apostolo nec fidem sine operibus, nec charitatem sine labore, nec spem sine patientia hic commendari.

Nota quarto: Addit Apostolus, « Domini nostri Jesu Christi, » qui genitivi a genitivis fidei, spei et charitatis, qui præcesserunt, reguntur. Vocat ergo fidem, spem, charitatem Jesu Christi, sive quia hæc virtutes dantur a Christo et per Christi merita; sive potius, quia feruntur in Christum qua Deus est et homo, quasi in objectum suum, et labor arum suscipitur propter Christum et Christi amore, spe ac desiderio. Unde vers. ultimo id explicans ait: « Expectare filium ejus de cælis, » q. d. Ilæ spe sustinetis persecutiones, erumnas et labores pro fide, quia creditis et ama-

tis Christum, eumque expectatis judicem, ut vos præmiis et glorificet. Ilæ enim spe vit justus ad omnem fortune notum immotus firmusque quasi cubus, imo quasi rupes consistit in sua fide et probitate. Unde et Ambrosius, ut dixi, legit hic, *memores, etc., expectationis spei Domini nostri Jesu Christi*, id est spei expectantis Dominum nostrum Jesum Christum.

Nota quinto: Quod subdit Apostolus, « ante Deum et Patrem nostrum, » vel refertur ad memores, vel potius ad fidei, spei et charitatis, q. d. Memor sum vestræ patientiæ et laboris, quem sustinetis pro fide, spe et charitate Christi, non fide et simulate, sed « ante Deum, » id est sine furo, vere, sincere, coram Deo. Est hic ingens stimulus ad fortiter agendum et patiendum, si cogitemus nos ante Deum, in Dei oculis et pro Deo ipso laborare, pati, certare. « Magna, inquit Beatus, nobis injecta est necessitas bene agendi, quod in conspectu Judicis cuncta operantis omnia agimus. » Hinc Deus, Gen. xvii, 1, hæc medium et excitamentum ad omnem perfectionem Abrahamo suggestit, dicens: « Ambula coram me, et esto perfectus, » q. d. Cogita presentiam meam, me facta tua omnia coram intui: ita studebis et anniteris, ut opera tua quam optime et perfectissime facias.

4. SCIENTES, FRATRES DILECTI A DEO, ELECTIO- NEM VESTRAM, — q. d. Scio, non fide, non certa demonstratione, aut physica evidentiâ, sed ex signis et conjecturis: quia scilicet vestræ fidei, constantiæ, patientiæ, charitatis opera video, inde scio, id est probabiliter colligo, « vestram electionem, » id est vos esse electos ad gratiam et amicitiam Dei, et, si in ea perseveretis, ad gloriam et fruitionem ejusdem. Ita Theophylactus. Vide Can. 13. Nam Apostolum proprie et immediate loqui de electione ad gratiam, non autem ad gloriam, patet ex sequentibus; sequitur enim:

5. QUIA ET ANTE BELLUM NOSTRUM NON FUIT AD VOS IN SERMONE TANTUM, SED ET IN VIRTUTE, — id est, potentia et efficaciac miraculorum confirmatum fuit.

ET SPIRITU SANCTO. — SYRUS verit, in spiritu sanctitatis: sanctitas enim doctrine et vite prædicantium, valde eorumdem doctrinam credibilem facit et persuadet. Secundo, « in Spiritu Sancto, » id est in largitione Spiritus Sancti et donorum ejus, que Apostoli in primitiva Ecclesia, in baptismo etiam visibiliter largiebantur, faciendū, ut credentes linguis peregrinis loquerentur, prophetarent, demones et morbos depellerent, etc., ut patet Actor. x, 44, et alibi. Ita Theodoretus, Anselmus et alii.

ET IN PLENITUDINE MULTA. — D. Thomas Bitariam accipit: Primo, « in plenitudine, » supple, donorum Spiritus Sancti, ne se minus donorum accepisse putarent Gentiles, quam acceperant Judei. Secundo, « in plenitudine, » supple, illustrationis, q. d. Nihil vobis defuit pleno instructionis carum rerum, que ad fidem pertinent. Verum hæc non

convenit cum Græco *πληροφωρία*, que vox significat plenam certitudinem et certam persuasionem, ut dixi Rom. xiv, 5. Unde Ambrosius legit, *non in phantasia, sed in veritate plenitudinis*, id est plena pleneque probata et certa veritate, q. d. Nihil defuit Evangelio meo apud vos ad plenam illi fidem faciendam. Quod Theophylactus refert ad toleratas pro Evangelio afflictiones, eo quod non sit probabile quemquam pro vana doctrina tantum velle pati malorum, quantum Paulus et Apostoli patiebantur pro Evangelio. Sed hoc arctius est: Apostolus enim « plenitudinem multam » vocat omnia argumenta, quibus plenam Evangelio suo fidem faciebat, puta miracula, linguas, prophetias, sanctitatem, patientiam aliaque quælibet: nemo enim prudenter potest credere, nisi hæc, vel his similia signa fieri, vel facta esse pro Evangelio sciat, que plane persuadeant viro prudenti rem, ad quam confirmandam adhibentur, esse credendam.

6. ET VOS IMITATORES NOSTRI FACTI ESTIS ET DOMINI. — Patheticæ S. Bernardus, serm. 1 in Quadrag. : « Quidni, ait, caput suum membra sequantur? Si bona suscepimus ab hoc capite, mala autem quare non suscipiamus? An respicere tristitia volumus, et communicare jucundis? Si ita est, indignos nos capitis hujus participatione probamus: omne enim quod illo patitur, pro nobis est. Felix membrum quod huic adhæserit per omnia capit, et sequetur illud quocumque ierit. » Et mox: « Mihi omnino adhæreret tibi bonum est, o Caput gloriosum et benedictum in sæcula, in quod et angeli prospicere concupiscunt. Sequar te quocumque ieris: si transieris per ignem, non avellar a te. Tu dolores meos portas, et pro me doles. Tu prius transis per angustum passionis foramen, ut latum præbeas sequentibus membris ingressum (metaphora a corpore et a capite sumpta: quo enim caput perperit, facile est subingredi corpus). »

EXICIENTES VERBUM IN TRIBULATIONE MULTA, CUM GAUDIO SPIRITUS SANCTI. — Nihil magis admirabile, quia nihil magis naturæ contrarium est, quam in tribulatione gaudere. Solent enim afflictii plorare, murmurare, queri, desperare: sed Spiritus Sanctus, qui natura superior est et per tribulationes bona celestia et divina reponit, efficit, ut homo hæc bona sibi proponens in tribulatione, quo magis affligitur, eo magis gaudeat. « Hoc vero eorum est, ait S. Chrysostomus, qui jam humanam naturam transcendunt, corpusque habent quasi nullis passionibus obnoxium. Sic et Christus, quamvis multas afflictiones pertulerit, gavisus tamen est. Ad hoc enim sponte sua venit et nostri gaudia seipsum exinavit, conspuendus, alapis percutiendus et cruciendus; atque ita gavisus est ista patiens, ut Patri dixerit: Clarifica me, Joan. xvii, 1. Afflictio in corporalibus, gaudium in spiritualibus. » Causam subdit: « Non enim naturæ afflictionem hoc habet, ut gaudium

pariant; sed istud ex ea afflictione est, que propter Christum toleratur et ex spiritu irrorante, et per caminum tentationum in requiem ac recreationem constituit. Cum gaudio, inquit, non simpliciter, sed multo; hoc enim est Spiritus Sanctus. »

7. ITA UT FACTI SITIS FORMA (græcæ *μορφή*, id est, exemplaria, typi, et, ut Syrus atque Ambrosius, in exemplum) OMNIBUS CREDBENTIBUS IN MACEDONIA ET IN ACHIA.

8. A VOBIS ENIM (a vestra fide, patientia, constantia, zelo, ait Theodoretus) DIFFAMATUS (divulgatus) EST SERMO DOMINI. — Græcæ *ἠρτυρέθη*, id est resonuit quasi echo et exsonuit quasi tuba, ait Theophylactus. Vatablus verit, *a vobis chucinat* est sermo Domini; Syrus, *a vobis manavit fama sermonis Domini*, id est prædicationis Evangelicæ: ut scilicet omnes hanc novam fidem Christianam admirantur et ament propter vestram Christianam, piam et sanctam vitam, quam sciunt vos ex fide hausisse et imbibisse.

IN OMNI LOCO — fidelium scilicet, vel ubi fidei et fidelium est notitia: commode enim *in omni* ad presentem materiam limitandum et accipiendum est.

FIDES VESTRA (rumor et fama fidei et sanctitatis vestræ) QUE EST AD DEUM (in Deum, erga Deum) PROPECTA EST, — hoc est, dimanavit: loquitur enim, inquit Theophylactus, de fide eorum, quasi de re animata, que egressa et profecta, omnia loca perambulat. Sic enim vulgus et poete famam pingunt quasi juvenem alatum, qui omnia celeritima pervolat. Hinc Virgilius:

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,  
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

ITA UT NON SIT NOBIS NECESSE QUIQUAM LOQUI, — q. d. inquit Theophylactus: Adeo vehementer et efficaciter est fidei vestræ fama, ut neque expectent nos homines quidquam de vobis dicere; sed narrare incipientes, præveniant ipsi nos, vestra nobis bona annuntiantes et prædicantes.

9. IPSI ENIM DE NOBIS ANNUNTIANT, QALEM INTROITUM HABUERIMUS AD VOS, — id est, quam mirabilis efficacique fuerit meus ad vos introitus; nimirum, ut mediis licet inter hostes et persecutiones constitutus, intrepide tamen evangelizarem, plurimosque ex vobis a simulacris ad Deum verum converterem, ut sequitur. Hunc introitum suum fufius describit Paulus, cap. seq. vers. 1 et seq.

Rursum Theophylactus: « Ipsi, ait, homines annuntiant, quod noster ad vos adventus refertus fuerit innumeris moribus, vos tamen non estis offensi in nobis. Quin etiam vos in pericula propter nos incidentes, non aversi estis a nobis, sed ter nos incidentes, non aversi estis a nobis, sed ter nos adhaerebatis, ceu innumeris bonis a nobis aucti essetis. Secundum autem ille accessus ejus erat. Etenim profectus in Berrham, persecutionis passus est; ac inde veniens sic est

ceptus, ut et animas suas, adeoque vitam pro eo impenderent. Haec enim Theophylactus.

QUOMODO CONVERSI ESTIS AD DEUM A SIMULACRIS, SERVIRE (ut serviretis) DEO VIVO ET VERO. — Monet eos ut recordentur a quibus ad quem transierint, ut dignam suam conversationem, christianismo et Deo vivo et vero, vitam agant. « Simulacris, » id est diis falsis et inanimis, puta aureis et saxeis, opponit Deum vivum et verum, q. d. Vivite vigetque Deus, sentitque honorem et servitium sibi

a vobis impensum, ac consequenter uti suo hostes ulciscetur, ita vos servos suos copiose premiabit et remunerabit.

10. ET RESPECTARE (ut expectetis) FILIUM EIUS DE COELIS (qui in iudicio vos hisce persecutionibus liberabit, et glorie corona donabit. Ipse enim per suam gratiam IMPUIT NOS (a peccati miseria quam incurreramus, ac consequenter) AB IRA VENTURA. — Id est a damnatione aeterna nobis ob peccata infligenda ab irato Deo.

## CAPUT SECUNDUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Apostolus, ut Thessalonicenses incitet ad constantiam in Christi fide et persecutionibus, ostendit eis sinceritatem, sanctitatem et zelum predicationis suae octo argumentis, scilicet primo, ex illius fructu, vers. 1.

Secundo, ex persecutionum, quae Actor. XVII et XVIII narrantur, tolerantiam, vers. 2.

Tertio, ex doctrina sana et pura, quam docuit, vers. 3.

Quarto, ex sancta intentione, qua non quaerens favores et opes, nec gloriam hominum, sed Dei tantum, praedicavit, vers. 4 et seq.

Quinto, ex eo quod eos tam tenere educavit in fide, quam tenere mater amat et educat suos filios, quodque pro eis vitam suam tradere voluerit, vers. 7 et 8.

Sexto, quod ne eos gravaret, sibi victum paravit nocte et die laborando, vers. 9.

Septimo, quod sancte et irreprehensibiliter inter eos vixerit, vers. 10.

Octavo, ex testimonio Thessalonicensium, qui Evangelium Pauli acceperunt, ut verbum non hominum, sed Dei, ideoque dira ab impiis et invidis Judaeis passi sunt, vers. 13 et seq.

Nono, ut eos ad se et fidem Christi magis alliciat, declarat subinde maternum in eos affectum, ideoque eos vocat suam spem, gaudium, coronam et gloriam, vers. 19. Itaque Apostolus hoc capite in seipso vitam veri praedicatoris et pastoris Ecclesiae effigiem et ideam exhibet, quam sibi jugiter nostri Pastores ob oculos ponant, imitando octo ejus dolos et virtutes scilicet recensitas.

1. Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit: 2. sed ante passi, et contumeliosi affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine. 3. Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo; 4. sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium: ita loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. 5. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione avaritiae, Deus testis est: 6. nec quaerentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis. 7. Cum possemus vobis oneri esse ut Christi Apostoli: sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos. 8. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis. 9. Memores enim estis, fratres, laboris nostri et fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, praedicavimus in vobis Evangelium Dei. 10. Vos testes estis, et Deus, quam sancte, et juste et sine querela, vobis, qui credidistis, fuimus: 11. sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum (sicut pater filios suos), 12. deprecantes vos, et consolantes, testificati sumus, ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam. 13. Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud,

non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. 14. Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quae sunt in Judaea in Christo Jesu: quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judaeis: 15. qui et Dominum occiderunt Jesum, et Prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur: 16. prohibentes nos Gentibus loqui, ut salvae fiant, ut impleant peccata sua semper: pervenit enim ira Dei super illos usque in finem. 17. Nos autem, fratres, desolati a vobis ad tempus horae, aspectu, non corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio: 18. quoniam volumus venire ad vos: ego quidem Paulus, et semel, et iterum, sed impedit nos Satanus. 19. Quae est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus? 20. vos enim estis gloria nostra et gaudium.

1. SCITIS, FRATRES, INTROITUM NOSTRUM AD VOS, QUIA NON INANIS FUIT. — Pro inanis, graece est *vanos*, id est *vacua*, q. d. Adventus et praedicatio mea apud vos non fuit otiosa et evanida, non caruit reus molestia aut persecutione, aut digna materia molestia aut persecutione, aut digna materia, aut sinceritate, aut sanctitate, aut fructu; idque toto reliquo capite demonstrat, ut dixi in argumento. Quod enim eam non solum fructu non vacuum fuisse, sed etiam persecutionibus aliisque jam dictis eandem non caruisse docere velit, patet ex particula adversativa « sed, » quae sequitur, cum ait:

2. SED ANTE PASSI (Graece *προπαθήσαντες*, id est *malis afflictis*) ET CONTUMELIOSI AFFECTI (sicut scitis) IN PHILIPPIS, FIDUCIAM (tamen) HABUIMUS (Graece *ἐμπιστάμεθα*, id est libertate, audacia usi sumus, audaces et intrepidi fuimus) LOQUI AD VOS (ad loquendum et praedicandum vobis) EVANGELIUM DEI IN MULTA SOLICITUDINE. — Graece *ἐν πολλῇ ἀγωνίᾳ*, id est in multo agone, luctu, certamine, et consequenter « in multa sollicitudine, » ut vertit Noster, qualis esse solet eorum qui in agone decertant. Forte etiam Noster pro *ἀγωνίᾳ*, legit *ἀγωνίᾳ*. Agonia enim est extrema sollicitudo, qualis est eorum qui cum morte conflictantur: sed prius est verius; nam *Coloss.* II, 1, Graecum *ἀγωνία*, aequum ut hic, noster Interpretes vertit, *sollicitudinem*.

Hic ergo est agon praedicationis Evangelii, in quo cum demone, Judaeis, Gentibus, Philosophis, tyrannis, magistratibus, aërumis, persecutionibus, omnique adversitate, Paulo et Apostolis certandum fuit. Unde hujus agonis saepius meminit, ut sciant praecones Pauli asseclae in agone gravi et difficili sibi esse certandum. Sicut I *Cor.* IX, 26: « Ego, inquit, sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, et in servitatem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse superfluus efficiar. » Hujus agonis certamina et tribula enumerat II *Cor.* XI, 23: « In laboribus, et plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, » et quod sequitur. Et I *Cor.* IV, 8: « In omnibus, inquit, tribulationem patimur, sed non angustiamur, etc. Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circum-

ferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. » Coronam vero agonis hujus describit II *Timoth.* IV, 7: « Bonum, inquit, certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex. »

3. EXHORTATIO ENIM NOSTRA NON DE ERRORE FUIT (1). — Graece *ἐκ πλάνης*, id est errore, non tam decepti, quam decipientes, hoc est, ex impostura, q. d. Non fui impostor, non ex studio vobis imponendi praedicaui. Id patet ex meis periculis captis, quae apud vos praedicans subivi: impostores enim non solent se in pericula conjicere, sed sua luera et delicias aucupari. Verum Noster melius vertit, « de errore, » q. d. Non praedicaui falsa dogmata, uti faciunt Philosophi et Gentium doctores, ac sacerdotes: sumit enim *pro πλάνῃ*, id est *ex pro de*: nam Hebraicum *min* utrumque significat. Id patet ex sequenti.

NEQUE DE IMMUNDITIA. — Ubi fursum Graece *ἐκ ἀκαθαρτίας*, id est ex immunditia; quod licet proprie capi possit, q. d. Non praedicaui ex animo immunditiarum et libidinum avido, ut ad eas auditores pellicerem; longe tamen melius veritas, « de immunditia, » q. d. Non docui immunda, sive carmina magica, uti magi vestri, inquit Theophylactus; sive potius opera, licere videlicet fornicari, deliciari, inebriari, qualia docent Pagani et haeretici Simoniani: sed omnis praedictio mea fuit de veritate, de castitate, continentia, virginitate. Hoc magnum est argumentum religionem Christianam esse veram, sanctam, a Deo profectam, vitium quod tantam doceat puritatem, quod suadeat calibatam, quod tot millia virginum educaverit. Videant Novantes in eorum religio vera sit, quae sic virginitatem averstat, docetque tam impura et sacrilega monachorum, sacerdotum et virginum Deo dicatarum contumelia, licita et sancta esse: cum vel ipsi Gentiles Romani Vestalium suarum virginum nuptias morte punierint, easque vivas in terram defoderint.

(1) T's enim rationem indicat cur Paulus magno animo et successu apud Thessalonicenses praedicavit.



Deo, qui vocavit vos in suum regnum. Si enim ad regnum nos vocat Deus, et regnum celeste, illudque divinum et aeternum, quis pro hoc regno non ferat honorem facturum, exilia, verbera, mortem denique ipsam? Ita Chrysostomus et Theophylactus. Qui bene ponderat et aestimat quid sit Deus, quid sit homo, quae hominis erga Deum obligatio, quam purus ac sanctus sit Deus, quamque pure et sancte a nobis Christianis colitur: hic sciet, quid sit digne amare Deo.

Secundo, alium stimulum addit subdens: 13. CUM ACCIPSETIS A NOBIS VERBUM AUDITUS DEI.

Vers 13. Quid verbum auditus?

— « Auditus, » scilicet vestri, quo vos a me verba Dei audistis; vel potius, « verbum auditus Dei » est verbum auditum a Deo, seu, quod ego et Apostoli a Deo audivimus et accepimus. Sic Isaias, cap. LIII, vers. 1, ait: « Domine, quis credidit auditui nostro? » hoc est sermone nostro, quem a te, Domine, audivimus (1).

Objectionum firmatae fidei est recitatio Dei.

ACCIPISTE ILLUD, NON UT VERBUM HOMINUM, SED (SICUT EST VERE) VERBUM DEI. — Hinc patet, quod obiectum formale fidei, sit revelatio non hominis, vel angelii, sed Dei: sive, esse dictum, auditum et revelatum a Deo, ut si quaeras a fidei: Cur credis Deum esse trinum in personis, et unum in substantia? ipse, si praecise et formaliter respondeat, dicit: Id credo, non quia hoc Ecclesia docet, non quia Apostoli, non quia Patres hoc docuerunt; sed quia hoc dixit et revelavit de se Deus. Sicut enim legatum legati fidem habet apud eos, ad quos legatus mittitur, non quia legati verbum est, sed quia verbum est regis, qui legatum misit ad hoc verbum proloquendum, ut non tam legatus, quam rex per legatum loquatur: sic et verbum Pauli et Apostolorum fidem habet, non quia Pauli, sed quia Dei verbum est, qui Paulum misit ac per Paulum loquitur. Atque hinc oritur certitudo fidei, quae nos de articulis, quos fide credimus, ita certos reddit, ut id omne negare malimus, quod sensus nobis dicitur, quod scientia nobis demonstrat, quod omnes homines et angeli dicunt, quam id negare quod dicitur fides: nittitur enim fides Deo revelante, quae prima et infallibilis est veritas, cui omnis alia veritas cedere debet.

Haec certitudo fidei.

QUI (DEUS) OPERATUR IN VOBIS, QUI CREDIDISTIS. — Graece *ὁ κτίζων, qui creditis*. « Operatur, » supple *fidem*, ut credatis, et credere pergatis verbis meis, eaque exequi satageatis. Ita Anselmus.

44. ECCLESiarUM DEI, quae sunt in Iudaea in Christo Jesu, — id est quae in fide et religione Christi Jesu sunt perseverantes, iuxta Can. 37.

QUIA EADEM PASSI ESTIS ET VOS CONTRIBULIBUS ESTIS, SICUT ET IUSTI A IUDAEIS. — Graecum *συμμετρούμενοι* magis significat eos, qui ejusdem sunt

(1) Verbum auditus, Graec. *ἀκούω*, *ἀκούω*, id est doctrina *audita*, simpliciter est pro *ἀκούω*, vel *ἀκούω* altero *redundante*.

gentis, quam tribus: intelligit enim Iudeos, ut patet ex vers. seq., Thessalonica indigenae, qui uti persecutionem in Paulum concitarunt, Actor. XVII, 3, Ita deinde eandem derivarunt in Christianos a Paulo conversos. ut illi bonis multarentur et prosciberentur: hoc enim in Iudaea Christiani passi sunt a Iudaeis, ut patet Hebr. x, 24: « Rapinam, ait, bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. »

15. QUI (SCILICET IUDAEI) ET DOMINUM OCCIDERUNT JESUM, ET DEO NON FLACENT (id est maxime displicent, per invidiam), ET OMNIBUS HOMINIBUS (id est omnium hominum salutem) ADVERSANTUR (quia scilicet Christo Salvatore, illius Evangelio, nobisque ejus praecognitione pertinacissime resistunt, et ardentissime persequuntur), PROHIBENTES NOS GENTIBUS LOQUI UT SALVE FIANT, — ut sequitur. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Anselmus.

UT IMPLEANT PECCATA SUA SEMPER. — Nota, *ut* ut non finem, sed consecutionem significare hic, uti et alibi saepe, q. d. Hi Iudaei continuo peccata peccatis tam parentum, quam suis, maxime illis, quibus Christum occiderunt, accumulunt quasi haereditaria improbitate, quoad impleant mensuram, quam designavit Deus, ut ea impleta, omnia eorum peccata simul et plene puniat eversione totius gentis per Titum et Romanos.

Nota secundo: Haec phrasi, « impleta peccata sua, » semper significatur hereditaria improbitate, quasi natura tota sit corrupta et depravata.

Tertio, hinc patet, Deum urbium, regnis, et a pari proportione impiis privatis, certum statuisse peccatorum cumulum, ad quem poenam vel vindictam differt, donec impleatur, ut illo impleto, omnia simul et perfecte vindicet et castiget. Idem patet Genes. xv, 16, ubi Deus terram Chanaan Abrahae promissam, ei dare distulit per quadringentos annos: « Nequum enim, inquit, completae sunt iniquitates Amorrhoeorum usque ad praesens tempus, » q. d. Post quadringentos annos complebuntur Amorrhoeorum iniquitates, tumque eos excindam, et te, id est posteros tuos Hebraeos, in terram eorum inducam. Sic Matth. xxiii, 32 et 35: « Et vos implete mensuram patrum vestrorum, » ut, sicut illi Prophetas occiderunt, ita vos me et Apostolos occidatis, « ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae, filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare. » Ubi advertite, patres cum filiis unum censeri civili estimatione. Unde parentum merita vel demerita in filios redundant, ita tamen ut filii parentum peccata imitantes non gravius puniantur, quam propria peccata demereantur: dicuntur nihilominus filii parentum peccata luere, quia parentes improbos imitantur, itaque cumulum peccatorum a Deo vindictae designatum adaugent et impleant, ut illius ira in eos tum deserviat, quae non deservisset, nisi parentum peccata ad hunc cumulum et

Quid ut impleta peccata?

Mensura peccatorum hinc deo statuta, ut ea impleta essent, ut non puniret.

ad hanc mensuram conficiendam praecessissent.

PERVENIT. — Duplex hic est lectio: alii legunt, *pervenit*; alii et melius, *percutit*. Ita Romana, Syrus, Vatablus et alii.

Ita (id est nullo: Graece *ἀπὸ ἑσπέρης*, q. d., ait Theophylactus: Ira illa et ulio insignis et inevitabilis, quam eis praedixit et comminatus est Christus) IN FINEM, — id est ad extremum (hoc enim est Hebraeum *למטת* *lanetsach*, quo alludit Paulus) q. d. Extrema, perpetua et implacabilis ira Dei qui adverte: Haec ira et ulio Dei in Iudaeos *ἐπέβη* excedit: prior culpe, eorum scilicet in peccatis excusatio, obduratio, reprobatio; postea propter peccata, excidium videlicet praesens, et aeternum, ut dixi, gehennae incendium.

Iudaei per Titum prooccupati ab ira Dei.

Potest secundo, Graecum *ἐπέβη* verti *occupavit*, *provenit*, ut legit Ambrosius, et sic vertit Noster et alii, cap. iv, vers. 13, q. d. Decretum Dei de uliosecundo peccata Iudaeorum, jam occupavit eos, nihil scilicet tale expectantes, ut, cum ex toto orbe tempore Paschatis Hierosolymam Iudaei confluxerunt, tunc subito a Tito in ea concludantur, obsequeantur, ac penitus deleantur; ut configisse narrat Josephus. Graecum enim *ἐπέβη* significat aliquid subitum et inexpectatum, quod metum et spem cogitationemque hominis praeventit ac praevortit.

17. NOS AUTEM, FRATRES, DESOLATI A VOBIS. — Graece *ἀπορηθησάμεθα ἀπὸ ὑμῶν*, id est disjuncti a vobis, et quasi patres vel matres filiis suis orbati et orphani facti. Ita Theodoretus.

AD TEMPUS NOAE, — id est breve, horarium. Sic Ieronimus:

Hoc momento cita mors venit, aut victoria laeta.

Interit hic Paulus, quod per Iudaeorum persecutionem tam cito a Thessalonicensibus avulsus fuerit, et quasi fratribus necdum satis provecit et adultis orbatus, Actor. xvii, 10.

18. SED IMPEDIVIT NOS SATANAS. — Querit S. Basilus in *Regul. brevior.*, interrog. 273, Quae et quomodo Pauli et Sanctorum bona opera impedire possit Satanas? ac respondet: « Recte, ait, facta, quae in sola animi voluntate posita sunt, haec nullo modo impedire Satanas potest. Quae vero ejusmodi, ad quae consequenda necessaria est etiam opera corporis, in his plerumque etiam Deus nasci impedimenta permittit, vel probandi, vel detegendi causa illius qui impeditur: ut vel, si a recto proposito destiterit, convictus, qualis seilicet detegatur: ut hi qui supra petram fuerant seculi aedificati, qui ad modicum tempus susceperant quidem verbum cum gaudio, exorta autem tribulatione, statim recesserunt; vel, si in recto perseveraverit, clarius appareat studium ipsius in

recte factis, ut ipsis Apostoli, qui cum saepe Romanum petere decrevisset et prohibuit esset, ut ipse passus est, tamen catenus in ea voluntate permanere non destitit, quoad etiam effectus quod statuerat. »

19. QUAE EST ENIM NOSTRA SPES, AUT GAUDIUM, AUT CORONA GLORIAE? NONNE VOS ANTE DOMINUM (id est in conspectu Domini, coram Domino) NOSTRUM JESUM CHRISTUM ESTIS IN ADVENTU EIUS? — q. d. Vos estis spes mea, gaudium meum et corona mea, non formalis, sed obiectiva sive materialis, quia estis materia et obiectum spei, gaudii et coronae meae: spero enim et gaudeo me in adventu Christi ad iudicium ab eo recepturum coronam gloriae pro labore vobis ad Christum convertendis impenso.

Nota primo: Cum ait Paulus: « Corona gloriae, » respicit ad Hebraeum *קִרְבָּן* *tipheret*, id est decus, ornatus, splendor, gloria, magnificentia. Noster Interpretes subinde dignitatem, subinde iactantiam, subinde pulchritudinem, sed crebrius gloriam vertit, ut *Psal. lxxxviii, 18*: « Gloria (hebraice *tipheret*) virtutis oritur tu es; » hoc est, robur et decus eorum tu es, Domine. Et *Isaias, lxxii, 3*: « Eris corona (hebraice *tipheret*) gloriae in manu Domini. » Sic Paulus Thessalonicensibus hic vocat suum *tipheret*, id est suum decus, coronam et gloriam.

Nota secundo contra Novantes: Si Paulus hic Thessalonicenses sine ulla Dei aut Christi injuria, vocat suam spem, suum gaudium, imo suam coronam gloriae, cur non possimus vocare et invocare beatam Virginem, quae mater Dei est et cetera regina, spem nostram, matrem misericordiae, vitam et dulcedinem nostram? Quid hic injuriam est Christo? imo quid non honorificum Christo? Nonne gloria matris est Filii gloria? nonne mater intercedendo pro nobis apud Filium, per Filium consolationem, misericordiam, vitam et salutem nobis largitur? Advocatum in curia vocare possumus spem causae, aut veniam obtinende: cur non possim ita vocare matrem Dei, quae mihi advocata est in curia caelesti, et veniam ac gratiam mihi impetrare potest? Pie et vere S. Bernardus, serm. *De Nativ. B. Mariae*: « Exaudietur, inquit, mater pro sua reverentia; exaudiet utique matrem Filium, et exaudiet Filium Patris. Filio, haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae. »

Exclamat hic ex Chrysostomo Theophylactus: Nonne haec sunt matrum verba, omnino misericordiae et charitatis visceribus inflammatarum, parvulos pueros suos alloquuntur? Non satis recte coronam dicere, et dilectionis suae fervorem indicare; sed apposuit gloriae, sive gloriatoris: hoc enim est Graecum *κλυτῶνος*.

Ubi nota, coronam hic dupliciter accipi posse: primo, pro ipso premio beatitudinis, de quo gloriabatur Apostolus; secundo, pro ipsis Thessalonicensibus a Paulo conversis, qui Paulum in die

B. Virgo recte vocatur mater, ita spes, vita, etc.

judicii stipituri sunt instar coronæ, de qua gloriabitur coram Deo, angelis et hominibus. De hac corona pulchre S. Gregorius, hom. 47 in *Evangelio*: « Pensemus, ait, quod lucrum Deo fecimus nos, qui accepto talento, ab eo ad negotium missi sumus. Et tunc dicit: Negotiamini dum venio. Quale et animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? quot ejus conspectui animarum manipulos de predicationis nostræ segete illaturus sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtiōis diem, quo Judex veniet et rationem cum servis suis, quibus talenta credidit, ponet. » Deinde coronam fidelium singulos Apostolos cingentem describens subdit: « Ecco in majestate terribili, inter Angelorum atque Archangelorum choros videbitur. Ibi Petrus cum Judea conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum decens. Ibi Andreas post se Achaïam, Ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui judicis regis conversam ducet. Ibi omnes Domini cæ-

Coronam  
fidelium  
tribuit  
post se  
Apostoli  
in die ju-  
dicii.

## CAPUT TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Docet se ad Thessalonicenses misisse Timotheum, ut eos in fide confirmaret.

Deinde, vers. 6, redeunte ad se Timotheo, ea equè cognita illorum constantia, mire gavisum esse.

Mon. vers. 9, pro eadem Deo gratias agit, oratque Deum ut eos revisere, et in fide perficere sibi concedat.

Denique, vers. 12, ad hoc Dei in eos benedictionem invocat, ut adaugent eorum charitatem et sanctitatem.

1. Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis: 2. et misimus Timotheum fratrem nostrum, et ministrum Dei in Evangelio Christi, ad confirmandos vos et exhortandos pro fide vestra, 3. ut nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus. 4. Nam et cum apud vos essemus, prædicabamus vobis passuros nos tribulationes: et factum est, et scitis. 6. Propterea et ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne forte tentaverit vos is qui tentat, et inanis fiat labor noster. 7. Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, et annuntiante nobis fidem et charitatem vestram, et quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut et nos quoque vos: 7. ideo consolati sumus, fratres, in vobis in omni necessitate et tribulatione nostra per fidem vestram, 8. quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino. 9. Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum, 10. nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram, et compleamus ea que desunt fidei vestræ? 11. Ipse autem Deus et Pater noster, et Dominus Jesus Christus, dirigat viam nostram ad vos. 12. Vos autem Dominus multiplicet, et abundare faciat charitatem vestram in invicem, et in omnes, quemadmodum et nos in vobis: 13. ad confirmandam corda vestra sine querela in sanctitate, ante Deum et Patrem nostrum, in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus. Amen.

1. PROPTER QUOD NON SUSTINENTES. — Græco *ἵνα μὴ ὑπομείνωμεν*, id est non amplius ferentes, supple, desiderium cognoscendi res vestras et vobiscum ingredi, misimus hac de causa Timotheum, quasi internum ad vos.

PLACUIT NOBIS REMANERE ATHENIS, SOLIS. — Dicitur: *Actor. xvii, 15*, dicitur Paulus ex Berea et Thessalonica evocasse Silam et Timotheum ad se Athenas; ergo non remansit solus Athenis. Respondet: Evocavit eos, sed statim remisit Thessalonicam: quod, licet *Actor. xvii* non dicatur, hinc tamen colligitur, et ex eo quod *Actor. xviii, 5*, Silas et Timotheus dicantur redisse ad Paulum non jam Athenis, sed Corinthi agentem: si redierunt, ergo jam post congressum mutuum, de quo *Actor. xvii, 15*, rursus discesserant ab eo.

2. MINISTRUM DEI. — Græca et Syra addunt, *καὶ συνεργὸν ἡμῶν, et cooperatorem nostrum.*

AD CONFIRMANDOS VOS, ET EXHORTANDOS PRO FIDE VESTRA, — id est pro stabilitate et incremento fidei vestræ procurando. Ita Theophylactus.

Secundo simpliciter, Græci et Syrus *ἵνα* capiunt pro *ut*; hoc est *super*, quod respondet Hebræo *על*, *q. d.* Ut confirmem et exhorter vos super fide vestra, vel circa fidem vestram, vel in fide vestra: hæc enim omnia significat Hebræum *al*.

3. UT NEMO MOVEATUR IN TRIBULATIONIBUS ISTIS (persecutionibus Judæorum et Gentium); IPSI ENIM SCITIS, QUOD IN HOC POSITI SUMUS. — Syrus verit, *ad hoc destinati sumus*, ad sustinendas videlicet persecutiones et tribulationes. S. Chrysostomus: « Non dixit simpliciter, inquit, Tentatur; sed, in hoc positi sumus; pro eo quod est, ad hoc facti sumus, hoc est opus nostrum, hæc nostra vita, et tu requiem quaeris? » Dicit ergo cum S. Sebastiano quilibet Christianus illud, quod Jeremias de se in typo Christi et cujusque Christiani dicit et canit *Thren. iii, 12*: « Posuit me (Deus) quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ suæ, id est sagittas suas, puta tribulationes.

Dicit quisvis patiens cum S. Job, cap. xvi, vers. 13: « Posuit (Deus) me sibi quasi in signum, » id est in scopum, in quem sua omnia tela conjiciant inimici. Audiant hoc omnes Christiani, ait Theophylactus, se nimirum ad hoc positos et vocatos esse, puta ad crucem cum Christo et pro Christo fortiter sustinendam. Sic finis, inquit Chrysostomus, milites Christi, si patientia armis induamur. Sic finis martyres Christi, si diabolus vineamus: si enim patieris et sustines, fugiet diabolus. Prædixit id Apostolus generali sententia II *Timoth. iii, 12*: « Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. » Imo Christus ipse, *Joan. xvi, 33*: « In mundo, inquit, pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum. »

« Hanc rationem, ait Seneca, lib. *De Constantia cæcipitatis*, sequitur Deus in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores, qui plus laboris ab

illis exierunt in quibus certior est spes; et quam in militibus duces, qui optimos milites ad durissimam militum. Sic ignem experitur in Mucio, paupertatem in Fabricio, exilium in Socrate, in *æm* in Cato. Ut severi parentes filios durius educeant, ita Deus suos, idque ut inde, imo doloribus et damnis, colligant robur. Dicant hi ergo: Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur quantum humana natura pati possit (imo quantum et gratia et amor Dei possit). Ecce par Deo dignum vir fortis cum mala fortuna compositus; ecce spectaculum Deo dignum. » Hæc et plura sparsim Seneca loco citato.

5. PROPTEREA ET EGO AMPLIUS NON SUSTINENS (desiderium scilicet agnoscendi fidem et res vestras: de quo vers. 1) MISI (Timotheum) AD COGNOSCENDAM FIDEM VESTRAM.

NE FORTE TENTAVERIT (et tentando vericet, ac de fide aut constantia deocerit) IS QUI TENTAT. — Græcum *ἵνα μὴ ὑπομείνωμεν* est participium, quod more Hebræo ponitur pro nomine *κατασκοπεύτης*, id est ille tentator, qui Christum et Sanctos omnes tentavit et tentat, cujusque ars tentare est, puta Satanas, de quo *Matth. iv, 3*.

8. QUONIAM NUNC VIVIMUS, SI VOS STATIS IN DOMINO, — *q. d.* Licet ad mortem usque affligamur, dum tamen audivimus vestram constantiam et fidem, quam habetis in Domino, quasi reviviscimus et a mortuis excitamur.

Exclamat hic Anselmus: « O quam mollia viscera gestabat Apostolus, quando circa filios suos tanto æstu amoris inhiabat, ut diceret: Nunc vivimus, si vos statis in Domino! Metuebat nimis, ne sui discipuli in prædicatore suo tot persecutionum probra cernerentes, fidem in Deo despicerent, contra quam imminentes passionum contumelie prævalerent. Et ideo minus dolebat in tormentis, sed magis filius de tormentorum suorum tentatione metuebat: parvi pendebat in se plagas corporis, dum formidaret in filii plagas cordis. » Et paulo inferius: « Securus erat de mercede sua, etsi discipuli caderent, et tamen venerede sua, in casu illorum mercedem sui laboris perderet, in statu ipsorum dixit se vivere: nolebat enim vivere illis cadentibus, sed illis stantibus in Domino, ut fructus ejus esset illis integer, et merces ejus apud Deum plena gaudiorum. »

9. QUAM GRATIARUM ACTIONEM POSSUMUS DEO TRIBUERE PRO VOBIS (de vobis) IN OMNI GAUDIO (super omni gaudio), QUO GAUDEMUS PROPTER VOS (in fide inter adversa constantes) ANTE DEUM NOSTRUM, — coram Deo nostro: hoc enim est Græcum *εὐχαριστοῦμεν*.

10. NOCTE AC DIE ABUNDANTIUS (ὄντις ἢ ἡμέρας, *q. d.* Super ex abundantia, id est, ut Ambrosius, abundantissime, eximie, mirifice, supra modum: ita Vatablus) ORANTES, — id est, oramus. Hebræi enim participium usurpant pro indicativo.

UT VIDEAMUS FACIEM VESTRAM, ET COMPLEAMUS EA

QUE DESUNT FIDEI VESTRE. — Græce est, καὶ καταλείποντες τὰ ἑσθίματα τὰ σαρκοῦ βίου, q. d. Ut perficiam artus, membra et compāines, que adhuc desunt fidei vestre, ut ita corpus fidei vestre integretur et omnibus suis partibus quasi membris perficiatur. Græcum enim καταλείποντες, dicitur de corpore quod suis artubus et membris integratur, complectur et perficitur. Eodem sensu dixit Paulus se implere τὰ ἑσθίματα, id est ea quæ desunt passionibus Christi, Coloss. 1, 24, q. d. Opto vos videre, ut imperfectam evangelizationem meam et instructionem vestram, quam ob Judæorum persecutionem abrumperè coactus sum, absolvam et perficiam.

Voss. 12. 12. Vos autem Dominus multiplicet, — ut numerus fidelium, quem relinquere coactus sum, multiplicetur et numero augeatur.

ET ABUNDARE FACIAT CHARITATEM VESTRAM IN INVICEM, ET IN OMNES. — Ita Romana, sed Græca habent, καὶ περισσεύετε τὴν ἀγάπην ἐπὶ ἀλλήλους, καὶ ἐπὶ πάντας, id est et abundantes, sive exuberantes faciat multa inter vos charitate, et in omnes: sed mutato hoc easi, eodem tamen redit sensus.

QUOMADMODUM ET NOS IN VOBIS, — supple, charitate jam dicta abundavimus. Ita Anselmus.

13. AD CONFIRMANDA CORDA VESTRA (potest ad Vers. 12.

Paulum referri, q. d. Charitate abundavi in vos, ut confirmarem corda vestra in sanctitate. Secundo et melius, referas ad Deum, q. d. Deus abundare faciat charitatem in vobis ad hoc, ut confirmet corda vestra), SINE QUERELA (græce ἀ-μαχοῦς, id est irreprehensibilla) IN SANCTITATE (ut scilicet ita in sanctitate confirmata sint, ut nemo de eis, eorumque imparitate aut vitio queri possit, idque) ANTE DEUM (id est coram Deo, ita ut Deus nihil in cordibus vestris culpare possit, sed tota esse sancta iudicet), IN ADVENTU DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, — supple, ut sint et inveniantur corda vestra sancta et sine querela in adventu Christi, quo cum omnibus Sanctis veniet ad iudicium. Apostolus enim spiritu plenus conglomerat hic multa, que affectus suggererat, nec de verbis est sollicitus, sed verba nonnulla subicit et subaudit, juxta Can. 38.

Vere S. Chrysostomus hic, homil. 4: « Paulus, inquit, cum videret dilectorum quorundam lacrymas, ita perfringebatur et conterebarur adamas ille, ut diceret: Quid facitis flentes et contemntes cor meum? Nam omnibus resisto, una dec. 12. dempta dilectione: illa nãe vincit et superat.»

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit hortari ad vitam Christianam, puram et sanctam, atque ad fugam fornicationis. Secundo, vers. 9, reficit eis studium charitatis fraternæ, et vers. 11, fugam otii et laborem manuum. Tertio, vers. 12, agit de fide et spe resurrectionis: scilicet ne contristentur in sua vel suorum morte, asseverat, quod fideles pie mortui brevi resurgent, ita ut non tam mortui quam dormire videantur; quodque Christo cum tuba Archangeli venienti ad iudicium omnes simul occurrant in aera, ut semper cum eo sint et regnent in caelo.

1. De cætero ergo, fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu ut, quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis. 2. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum. 3. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineteis vos a fornicatione, 4. ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, 5. non in passione desiderii, sicut et Gentes, quæ ignorant Deum; 6. et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, et testificati sumus. 7. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. 8. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis. 9. De charitate autem fraternitatis non esse habemus scribere vobis: ipsi enim vos a Deo didicistis ut diligatis invicem. 10. Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia. Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis, 11. et operam detis ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis; et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis. 12. Nolumus autem vos ignorare, fratres,

de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent. 13. Si enim credimus quod Jesus mortuus est, et resurrexit: ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet eum. 14. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt. 15. Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de caelo: et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. 16. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquamur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus. 17. Itaque consolamini invicem in verbis istis.

1. AMBULARE ET PLACERE DEO. — Ita de Henoch dicitur, Genes. v. vers. 22: « Ambulavit Henoch cum Deo, » q. d. Henoch ita sancte et pie vixit, quasi Deum semper præsentem præ oculis haberet, et reveretur; ideoque in omni opere cautissimus, modestissimus, religiosissimus semper incedebat, eratque Deo, Deique voluntati per omnia concessions, perinde ac homo cum homine amico, vel domino suo ubique et indivulse inambulans, illi per omnia consentit, illi in omnibus se conformat. Unde tulit et rapuit eum ad se Dominus, tanquam altiore terra, Deo angelisque dignum, imò familiarem. Hinc Abraham mandat Deus, Genes. xvii, 1, dicens: « Ego Deus omnipotens, ambula coram me, et esto perfectus. » Magna ars et sapientia est nosse ambulare cum Deo.

SIC ET AMBULETIS, UT ABUNDETIS MAGIS, — q. 2. Rogo vos ut sic conversemini, ut in dies proficiatis in via incepta, scilicet ut conemini quotidie vosipos superare, progredi et excellere in vita et virtutibus Christianis. Ita Anselmus. Græca non habent τὴν sic et ambuletis, sed tantum τὴν πορεύσασθαι μαζω, id est, ut abundetis magis, supple, in hæc ambulatione et placencia (ut ita loquar) Dei, Chrysostomus et Theophylactus sic expliçant: Ut abundetis magis, id est, inquit, ut aliquid supra mandatum cupiatis facere, ut imperata superetis; quemadmodum enim terra non ea solum semina, quæ accipit, reddit et profert: sic animus non debet in acceptis consistere, sed ea etiam transcendere.»

Christiana non est vita, nisi ambuletis. Nunc cepi: et illud Psal. lxxxiii, 8: « Ibi de virtute in virtutem; » hebraice כחל אל כחל mechil et chail, id est, ut Hieronymus vertit, ibant de fortitudine in fortitudinem, quia scilicet, fient indices gratia Dei flores, et ascendant in Sion, id est in caelum, ubi palmam videant Deum deorum. Fulchre S. Bernardus ad Drogonem, epist. 34: « Nemo, inquit, perfectus est qui perfectior esse non appetit; et in eo quoque perfectiorem se probat, quod ad majorem tendit perfectionem.»

2. SCRIS ENIM QUAE PRÆCEPTA DEDERIM VOBIS PER DOMINUM JESUM, — id est per auctoritatem et mandatum Domini Jesu, ego Paulus quasi legatus Jesu præcepta vobis dedi. q. d. Præcepta,

quæ præcepi, non mea sunt, sed Christi; Christus est legislator, ego Christi sum præco: multa enim fidei, virtutum et Sacramentorum mandata in particulari vobis et Christianis aliis proponenda et promulganda tradidit mihi Christus, reliqua mihi sancienda demandavit, iussitque ut eas leges Christianis prescriberem, quas eis, pro rerum exigentia, convenire putarem. Sic vulgo dicit aula vel parlamentum se ferre legem vel edictum per le Roi, id est per regem, quia regis vice, nomine et auctoritate legem vel edictum fert et sancit.

3. HEC EST ENIM VOLUNTAS DEI, SANCTIFICATIO VESTRA, UT ABSTINEATIS VOS A FORNICATIONE. — Nota primo: Dei voluntas hic intelligitur non illa, quæ dicitur beneplaciti, qua Deus creat et facit quicquid illi libet et placet, sed illa quæ dicitur signi, qua scilicet significat Deus quid velit et jubeat nos facere, scilicet ut studeamus sanctificati.

Secundo, integra « sanctitas, » inquit S. Dionysius, tam in Deo, quam in nobis et angelis, « est ab omni iniquatione libera, incontaminatissima et perfectissima puritas. » Et sic sanctitas opponitur cuivis peccato, estque virtutum omnium completio. Hic vero, et I Cor. vii, 34, sola castitas dicitur sanctitas; opponitur enim hic et vers. 7, fornicationi et immunditie. Unde et subdit: « Ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione, » id est in puritate et castitate, ut mox dicam. Ratio hujus nomenclaturæ est hæc, quod, sicut libido est bestialis, pudenda et maxima impuritas: sic e contrario castitas, summa est et maxima puritas, quæ hominem angelicum facit; imò eum efficit templum Spiritus Sancti, ut insinuat Apostolus, vers. 8. Hinc et Poeta, Æneid. XI:

Tuque ô sanctissimus conjux,  
Felix morte tua.  
« Sanctissima, » id est castissima; et Æneid. XII:  
Sancta ad ves- anima, atque intactus inscia culpa  
Descendam;

« Sancta, » id est pura et casta.  
Præclare S. Cyprianus, tract. De Oral. Domonica, explicans illud, Fiat voluntas tua: « Voluntas, ait, Dei est quam Christus et fecit et docuit humilitas in conversatione, stabilitas in fide,